

## DE ADMINISTRA. SACRAMENT. Fo. XXX.

ac flagitia per verbum dei, & incutitur populo timor iræ, indignationisq; ac iusti iudicij dei, certo certius manentis eos, qui male agunt ac male agendo perseuerant. Subinde vero vino oleum miscendum est, vt ex animo vereq; territis ac conueris promittatur gratia ac misericordia. Ad eum modum Paulus ad Ephesios scribens : Hoc (inquit) scitote, quod omnis fornicator aut immundus, aut auarus (quod est idolorum seruitus) non haber hæreditatem in regno Christi & dei . Nemo vos seducat inanibus verbis, propter hæc enim venit ira dei in filios diffidentiæ. Nolite ergo effici participes eorum. Et iterum ad Galatas: Manifesta autem sunt opera carnis, quæ sunt, fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria, idolorum seruitus, beneficia, iniuræ, cōtentiones, cōmulationes, rixæ, iræ, dissensiones, sectæ, inuidiæ, homicidia, ebrietates, comediations, & his similia, quæ prædico vobis, sicut p̄ dixi, quoniam qui talia agunt, regnum dei non consequentur.

Neminem non ad penitentiam inuitari.

Cap. XXXII.

Am, quanquam nemo conuertatur ad dominum, nisi tractus per patrem, Iohann. 6  
Attamen nemo hic excusationem prætexat, q; non trahatur, quod ille semper stet ante ostium pulsans, nimisrum per internum & exterum verbum, commonens vt conuertamur a via nostra pessima, & inclamans, quoniam ira, in dignatio, tribulatio, & angustia in omnem animam hominis operantis malum. Gloria autem & honor & pax omni operanti bonum. Hic cō Roma. 2  
cussis conscientijs commonstrandus est Samaritanus ille, qui infundit vi<sup>ta</sup> num & oleum, qui sanat omnes contritos, & alligat omnes contritiones eo<sup>rū</sup> rum. Filioli mei (inquit diuinissimus Iohannes) hæc scribo vobis, vt non peccetis. Sed & si quis peccauerit, aduocatum habemus apud patrem, Iesum Christum iustum, & ipse est propitiatio pro peccatis nostis, non pro nostris autem tantum, sed & pro totius mundi. Hæc est doctrina, quæ doceet mori mundo & viuere Christo.

Presbyter qui a confessionibus est, qualis esse debeat.

Cap. XXXIII.

D E confessione & quotuplex sit, alibi dicemus. Tantū quod ad eam que sacerdoti priuatim sit, attinet, de paucis admonebimus. Primum magno pere necessarium iudicamus, vt sacerdos, qui a confessionibus est, sit integer, eruditus, ac silenti tenax, alioqui si ad quæstum intentus sit, si ad malum solicitet, si curiosior explorator sit, si pertinacibus blandiatur, si intricata conscientiam extricare nesciat, si denique vel ebriosus, vel iracundus, vel leuis, vel secreti minime tenax, dissipandis magis quam pascendis ouibus videbitur idoneus.

Quid confitente docebit presbyter confessarius. Ca. XXXIII.

In pris

Roma. 2.

Ephes. 5

Gala. 5

Roma. 2.

Lucæ. 10

Psal. 146

I. Iohann. 4